


DEO OPTIMO MAX.

UNI ET TRINO.

VIRGINI DEIPARÆ, ET S. LUCÆ
Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA,

QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS manè diſcutienda, in Scholis Medicorum, die Jovis ſextâ Decembris, anno M. DCC. XXXVI.

M. BARTHOLOMÆO MURRY,
Doctore Medico, Præſide.

Eſt-ne tranſpiratio *hyemalis perfectior?*

I.



FUNCTIONUM integritas ex ingeſtis & egeſtis præcipuè continetur. Inter hæc certa proportio. Egeſta quandiù quantitate reſpondent ingeſtis, ſanitas eſt. ingeſtorum auxilio, egeſtorum damna reparantur. Egeſtorum ope, ingeſtorum tollitur redundantia. Alicundè ſit exceſſus, proximum erit vel onerari corpus, vel defraudari. Unica eſt ingerendorum via, ventriculus: via multiplex quâ eliminatur quidquid in corpore ſupervacaneum eſt. Alvus, veſica, nares, aures, ipſumque os, excrementis ſenſibilibus, pori cutis & pulmonum, materiei vaporis formâ avolanti exitum

præbent. Harum itaque omnium evacuationum summa colligenda est, ut innotescat egestorum cum ingestis ratio. Constat ex staticis, solâ perspiratione insensibili plus egeri, quàm reliquis omnibus excretionibus simul sumptis. Quare multum refert, quomodò illa se habeat. Neque eodem semper tenore procedit. Æstate uberior est, hyeme parcior. Quid ergo? Est-ne æstate melior *transpiratio*, quia abundantior? Credunt forsan nonnulli, non perpendentes, quid, sed quantum *perspiratione* dissipatum fuerit. Verum tunc melior est *transpiratio*, sive perfectior, non quando copiosior, sed cùm solus humor inutilis vel noxius, nullâ utilis vel necessarii portione commistâ excernitur.

I I.

POROS duplicis esse generis constat: alios excretorios, absorbentes alios. Hi ducunt ad venas, vel lymphaticas, vel sanguineas, vel utrasque. Illi nihil aliud esse videntur quàm arteriarum appendiculæ, per quas subtiliora sanguinis recrementa emittuntur. Sub cuticula adsunt infinita propemodum hujusmodi orificia: pars, sudorem fundunt; alia longè numerosiora exhalant liquorem tenuissimum, atque insensibilem. Sudor excretio violenta est, vel à nimio liquidorum impetu, vel à nimia solidorum relaxatione pendens, à natura alienus etiam in statu sano. *Perspiratio* verò evaporatio est naturalis, & necessaria, liquidorum solidorumque integritatem demonstrans. Hâc viâ, succorum reliquiæ enutrito corpore evanescunt: non tamen ante dimittendæ quàm novis humoribus in omne corpus diditis suppleantur, peracta coctione ultima. Sic succedente liquore blando & alibili, residuum ex prægressa nutritione, effœtum jam detritumque motu continuo, *perspirando* eliminatur. *Perspirationis* itaque perfectio in eo posita est, ut inutilis atque detriti liquidi excretio tantummodo, plenè tamen fiat.

I I I.

ID beneficii præstat hyems. Frigore condensatus aër, habitudini corporis fortiùs incumbit; & in calentibus pulmonum latebris amplius rarescens, pneumonicas cellulas magis distendit, atque intercurrentia vasa comprimit arctiùs. Sic pororum omnium, tum qui in pneumonicis cellulis, tum qui in corporis superficie hiant, diametri fiunt angustiores. Sic, & sanguinis per pulmonem transfluentis, & humorum per universum corpus circumactorum motus acceleratur. Namque pro superandis obicibus, cordis robur invalescit; nisi illud ipsum jam fractum sit, vel occurrant obices longè potentissimi. Ergo hyemali tempore *perspiratio* suis numeris absoluta vigeat necesse est. Quippe ex contracta pororum diametro, fit, ut non solum alibiles particulæ exitu prohibeantur, sed etiam inter inutiles excernendas eæ solæ ejiciantur quæ magis detritæ sunt; dum cæteræ crassiores restituuntur sanguini, multa œconomiæ animali beneficia præstituræ. Earum enim refluxu, excreta sensibilia copiosiora fiunt: uberior saliva, bilis abundantior atque diluta magis: perfectior proinde alimentorum concoctio, & mollior alvus. Illinc, quæ elaboratiorem chylum

consequuntur, commoda procedunt. Hinc quæ excrementorum in intestinis moram excipiunt, mala avertuntur. Nec est quod parcior hyeme *perspiratio* plenitudinis timorem injiciat: quicquid è *perspiratione* tunc cessat, vel suppletur aliis evacuationibus, vel in ipsius corporis convertitur utilitatem. Roborata frigore, unà cum corde, vasa omnia, interfluentes humores quassant vividiùs, subtiliùs comminuunt, miscent accuratiùs. Pori quidem hyeme sunt angustiores, sed hyeme tenuior fit *perspirationis* materia. Tunc quidem particulæ crassiores excluduntur à poris; sed ut in vasa sua retro pulsæ suis usibus reddantur, quæ secus inutiles avolavissent. Rationi igitur consentanea non est opinio quæ sinceræ *perspirationis* gradum perfectissimum, non in qualitate, sed in copia collocavit. Satis copiosa *perspiratio*, quæ cæteris juncta evacuationibus, assumptorum quantitati æqualis est: quæ major, nimia. Ex utilium enim succorum penu desumitur quicquid modum excedit.

IV.

JUSTA hæc mediocritas adest, cùm talis est emissariorum diameter, qualis neque laxior particulis alibilibus exitum præbeat, neque strictior detritis atque inutilibus deneget. Quæ quidem præstat hyberni aëris temperatio. Atque, ut contraria est æstivi aëris natura, ita contrarios edit hic effectus. Rarior siquidem ideoque levior, corpora minus comprimit, cuticulæ squammulas minus constringit, in pulmonibus rarefit minus: unde expassis humoribus vasa dilatantur, laxantur pori. Hinc * *corpus minoris erit roboris, tum quia* cum perspiratione *exhalat aliquid bonorum spirituum, tum quia calor non est concentratus.* Etenim sanguis plus solito rarescens, cùm ad cordis basim renixum inveniat nullo pacto superandum, propellitur versùs arteriarum extremitates, ubi propter laxata oscula externa, renixus minor est: atque ita succi nutritii unà rapti melior pars orificiis hiantibus profunditur. Ea sanguinis copia in cutem derivari nequit, quin viscerum calor imminuatur, simulque illorum officia langueant. Nec autumno melior est corporis humani conditio, imò pejor. Nocet enim calefactis frigus vel minimum. Vasa *cutanea* liquidis nimium turgida subitò astringuntur: liquida vero, utpote copiosiora, partibus tenuissimis per calorem difflatis, non eâ accelerantur vi, quâ pori contrahuntur. Hinc à stagnatione humorum intra capillaria vasa, morbi atrocissimi. Quod spectat ad tempus vernum, qualiscumque sit eo ineunte *transpirationis* integritas, soli hyemis viciniæ debetur; eâdem ferè adhucdum remanente pororum diametro. Atque cùm accedens calor illos expandit & ampliat, apportat simul æstatis incommoda.

* Sanctor. Aph. 35. sect. 11.

V.

CORPORUM nostrorum partes omnes continenter nituntur in contractionem. Æstivo autem tempore nimium dilatantur omnia in corporibus. Inimicam proindè vim patiuntur. Hyemalis aër naturalem contractionem reddit fovetque. Ergo partes à violento motu vindicat. Conciliatam ab hyemali aëre poris contractionem sequitur *perspirationis* imminutio. Nostræ itaque naturæ accommodum est, quod hyems *perspirationis* ubertatem reprimat. Sic in

interiore corpore nativus calor colligitur; atque calidiora idcirco viſcera muniis ſuis obeundis habiliora fiunt. Hinc ſtomachi robur ad alimentorum concoctionem : hinc bilis fluiditas, tempeſtate calidiori ſpiſſioris factæ : hinc urinæ uberior copia, cujus pars magna per cutis orificia æſtate avolabat: hinc tandem alvi excrementa, quæ æſtate, liquidi ſufficientis defectu, in inteſtinis concreſcebant, molliora jam, ſtatis temporibus egeruntur. Iſta beneficia Septentrionales gentes ut plurimum experiuntur, corporis robore, vitæ diuturnitate, virtute fœcunda cæteris hominibus præſtantes. Ex adverſo, Auſtralium plagarum incolas effœminat calor. Quid plura? Lavacris frigidis firmatur corpus, calidis enervatur & frangitur.

Ergo hyemalis tranſpiratio *perfectior.*

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Lucas-Auguſtinus Folliot de Saint Vaſt.	*M. Bartholomæus Murry, Actûs Præſes.*	*M. Jacobus Fourneau.*
M. Ludovicus-Jacobus Pipereau.	*M. Gabriel-Antonius Jacques.*	*M. Michaël-Ludovicus Reneaume Ex-Decanus, Cenſor Academiæ, & Regiæ Scientiarum Academiæ Socius.*
M. Joannes Iſoard.	*M. Claudius de la Vignè dè Frecheville, Medicus Regis & Domûs Reginæ. Ordinarius.*	*M. Raymundus-Jacob Finot.*

Proponebat Pariſiis, GUIDO-ANDRÆAS GARNIER, Pariſinus, Baccalaureus Medicus A. R. S. H. 1736. à ſexta ad meridiem.

Typis QUILLAU, Univerſitatis & Facultatis Medicinæ Typographi, 1736.